RECTOR
ACADEMIÆ GIESSENÆ,
LUDOVICUS FRIDERICUS,
COMES DE WIED, DOMINUS IN RUNCKEL, YSENBURG ET MASSAU,
TOTUSq; SENATUS ACADEMICUS.

Omnibus Academiæ Civibus S.P.P.

CAnes venaticos videmus è longinquo ad feras pervenire odorem ſecutos, cujus eximio ſenſu natura eos dotavit: Non aliter à Doctrina & ingenio eorum qui Academiis præſunt exhalantes ſcientiæ auras ſedulus eruditionis amator veſtigat huc illuc curſitans ut ad ſatietatem uſque de amatorio veræ ſapientiæ poculo bibat. Sunt etiam omni laude & encomio digni, qui quantum animo poſſunt, quantum labore valent, nituntur, ut ex aliorum doctâ informatione proficiant. Laborum moleſtiâ non oportet frangi animum ad alta aſpirantem. Radices & ſtirpes arborum ſi non delectant, conciliat tamen luſtrantium oculis voluptatem arborum altitudo. Radix doctrinæ amara labor eſt, deſinens tandem in dulcem & omni vita profuturam multiſque fructibus abundantem altitudinem. Non improbamus reſponſum *Oraculi* quod datum eſt *Zenoni* de vita feliciter inſtituenda percontati, quo mandatum accipiebat: *utendum eſſe mortuorum familiaritate*, id eſt veterum libros eſſe legendos, eorumque meditatione animum excolendum. Non tamen hæc ſufficiunt. Confuſa ſcientia eſt eorum, qui vivam docentis vocem vilipendentes unicè lectioni vacant. Inepti ſunt etiam ad docendos alios. Non poteſt feliciter aliorum capeſſere regimen, qui non aliquando majorum legibus paruit. Et quomodo præceptis artium & ſcientiæ regulis imbuet alios, qui docentis vocem nunquam audivit? Licet autem Magiſtrâ experientiâ id edoceamur indies, fieri tamen videmus, ut multi magno ſuo cum detrimento Doctorum labores faſtidiant. Ipſe *Philoſophus* jam conqueſtus eſt, artium omnium contemptum inde oriri, quòd plerique malint eſſe Magiſtri quam Diſcipuli. *Antiſthenis* Philoſophi hæc fuit fortuna ut cum ad Philoſophiæ ſtudium multos invitaret, accederet nemo: Qui propterea indignatus nemini poteſtatem audiendi permiſit, adeò ut *Diogenem* ad ſe venientem minis & baculo repulerit. Eandem ſuſtinent ſæpè fortunam Academiarum Profeſſores. Invitant ad artium & ſolidæ eruditionis ἀκούσματα multos, ſed nulli accedunt. Nec tamen indignabundi claudunt ſtatim cum *Antiſthene* ingenij fontes. Permanet nobis ad bonas ſpes pertinax animus, fore ſcil. ut ſi non omnes, quidam tamen ponderantes, artium & eruditionis Matrem eſſe inſtantiam, novercam autem negligentiam, excitati, diſcendi audiendi inquirendique evadant ſtudioſi. Adeſte igitur, cupientes eſſe liguritores doctrinæ & ſapientiæ veræ: Percipite ex ſubjectâ tabula, quas ſemeſtri brumali omnium Facultatum Profeſſores in alma noſtra Gieſſenâ appoſituri vobis ſunt artium & doctrinarum epulas; Paratis jam ſi frui cum ardore quodam placebit, majorem ſentietis voluptatem, quam quâ perfunduntur, qui ſenſu corporis in manducatione deliciarum aliarum fruuntur.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

PETRUS Haberkorn / *S.Th.D. & Prof.P.* poſtq. publicè præteritâ æſtate varias Quæſtiones de Paſſione Chriſti decidit, privatim v. per annuum decurſum totius Manualis Becani Refutationem ϰατὰ πόδα factam Dei gratiâ dictando abſolvit, inſtante hyeme in Lectionibus publicis aget tam contra Adverſarios intra Eccleſiam, uti hactenus, quàm extra Eccleſiam v.g. Judæos, Turcas, Gentiles, Atheiſtas; In collegiis v. privatis diſputando hebdomadatim binâ vice contra Calvinianos, & in ſpecie contra Leidenſes, Wendelinum, Voëtium, Marcſium, &c. aget; Exercitia etiam concionatoria inſtituet; Ac Annotata ſua Biblica fideliter communicabit. Diſputationes etiam publicas Antiſyncretiſticas, & in Epiſtolam ad Galatas continuabit.

JOH. NICOLAUS MISLERUS, *S.Th.D. Ejus & Hebr. Linguæ Prof.* Singulos fidei Articulos, publicè propoſitos, privatim, vel uberiùs explicando vel diſputando, repetet; Nec in Hebraica informatione ſuo deerit officio.

MICHAEL SIRICIUS, *SS.Th.D. & Profeſſ. Ordin. p.t. Academiæ PRO-RECTOR*, eâ quâ cœpit methodo in cenſurâ Scriptorum Eccleſiaſticorum primi ſeculi perget. Privatim etiam ſedulam operam promittit non qui per fruſta collegiorum labores interſecant, ſed quibus volupe eſt ex verâ diſcendi cupiditate omnes horas complecti.

PHILIPP. LUDOV. HANNEKENIUS, *SS.Th.D. & Profeſſ. extraord.* Publicè continuabit, D.V. dictare præcipua quædam ad Catecheſ. Dieter. & privatim eadem diſputabit, & Catecheſin explicabit.

IN FACULTATE JURIDICA.

GREGORIUS TULSNERUS, *U.J.D. Conſiliar. Haſſo-Darmſtadinus, & Profeſſor Ordin. Facultatis Senior*, etſi à *Sereniſſimo Principe ac Domino*, DN. LUDOVICO *Haſſiæ Landgravio &c.* quoad prælectiones publicas rude donatus ſit; Nihilominùs tamen in aliis Academiam & Facultatem concernentibus, quantum per vires corporis licebit, ſuo non deerit officio.

JACOBUS LE-BLEU, *U.J.D. & Codicis Profeſſor Ord.* illuſtriores Codicis leges in publicis lectionibus explicabit, collegia quoque juridica privata aperiet.

MARTINUS Müller / U.J.D. & *Prof. Publ.* hactenus miſero decumbit, meliorem tamen ſperat fortunam, & ſi Deus vires reſtituet, per ſemeſtre hyemale ſelectas & utiliſſimas materias Juris prælegет & methodo ſat accurata exponet, publicè & privatim, prout conſtitutio corporis feret. Diſcere etiam volentibus in collegiis privatis bono cum Deo non deerit.

HULDERICUS EYBENIUS, *D. Jur. Publ. & Feud. Prof. Ord.* prælectionibus publicis, poſt paucula quæ in *jure feud.* reſtant expedita, vel *Capitulationem Leopoldinam* vel *D. Lampadii* aut *D. Beckeri* tract. de jure publico, prout *Dnn. Commilitonibus* gratius utiliusque viſum fuerit, B.C.D. deſtinat. Diſpp. quoque publicas ad *Inſtit. & Feudales* continuabit. Privatim cùm *criminalia* tractabit, tùm alia Collegia, uti *Dnn. Studioſis* promiſit, aperiet, &, DEO modò vires & gratias largiente, omni ſedulitate habebit.

IN FACULTATE MEDICA.

JOH. TACKIUS, *Phil. & Med. hujusq; Prof. & Archiater Haſſo-Darmſtadinus*, quouſque in aula commorabitur, ſcriptis in publicum emittendis, conſiliisque Medicis tam Hippocratico, quàm Hermetico è fonte depromendis, ſuam Philiatris præſtabit opem. Ubi v. otium aulicum ipſi ad Academiam aperuerit viam, non ceſſabit, publicè privatimque pro Medicinæ Studioſorum ſpe & expectatione ſuam indefeſſam præſtare operam.

LAURENTIUS STRAUSS, *Med. D. & Prof. Ordin.* in Lectionib. Med. *public.* cæptam telam pertexere, DEO favente, conabitur; *privatim* ea tractabit, quæ à Philiatris imprimis deſiderari intelliget.

MICHAEL Helland / *Phil. & Med. D. & Profeſſ. Publ.* in Purgantium doctrina publicè perget; Privatim Philiatrorum deſideriis pro poſſe ſatisfaciet.

HIERONYMUS Nötel / *D. & Profeſſor Extraordinarius*, quouſque extra Academiam commorabitur, Scriptis & Conſiliis è Medicina depromendis ſuam Studioſis exhibebit operam. Poſtquam verò ad Academiam redibit pro placito Dominorum Studioſorum facilè ſuam declarabit promptitudinem.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

KILIANUS RUDRAUFFIUS, *Phil. M. Org. & Metaph. Prof.* in Logicis lectionibus publicis collationes cum noviſſima cujusdam Logica recognita, vera falſis mixta ſuppeditante, continuabit. In Metaphyſicis Materias de notitiis naturalibus inſitis, atque ſpiritibus finitis explanabit. In Collegio Publico Theologiæ ancillanti diſputando alacriter perget, atque reſiduas ex prima & ſecunda parte à Dn. RR. poſtulatas diſputationes, unà cum Gradualibus quibusdam nominatis, circa initium futurorum laborum haud cunctanter habebit, ut, Deo volente, etiam tertiæ partis primordia cerni queant. In privatis ad deſiderium Dnn. Studioſorum habebit Collegia Logica & Metaphyſica, præprimis hoc ſemeſtri explicatoria. Actum inſtantem Magiſterialem tanquam Decanus inſtituet circa feſtum Martini. Neque Cenſuram P. negliget, quoad fieri poteſt.

M. JOHANNES Weiß / *Mor. & Civ. Prof. Ord. publicè in Ethicis* diebus Lunæ & Martis naturam Amicitiæ expoſuit, atque Exercitationes ſuas ſecundâ vice ad finem perduxit: cui labori brevem quandam totius Philoſophiæ Moralis repetitionem ſubjecit. Hac ex voto Dnn. Commilitonum abſolutâ, impoſterum Exercitationes Ethicas Libenthalii debitâ induſtriâ proponet. *In Politicis* diebus Jovis & Veneris ſocietates ſimplices tradidit: quibus materiam de ſocietatibus compoſitis ſubjunget. Exercitia quoque diſputatoria publica nulli expoſcenti denegabit. *Privata* collegia tàm Ethica, quàm Politica pro uſu Dnn. Studioſorum legendo & diſputando aperiet.

LAURENTIUS STRAUSS, *Med. D. & Profeſſ. Phyſ. Ordin.* in Explicatione Quæſtionum inſigniorum ex ſpeciali Phyſices parte depromtarum, DEO annuente, *publicè* perget: *Privatam* quoque opellam, ſi gratam eam Dn. Studioſis intellexerit, à ſe deſiderari haut patietur.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, D. *Orat. Prof. Ord.* Progredietur, D.J. in explicatione publica propædias in Auctores Latinos, eâq; finitâ doctrinam de Elocutione tractabit. In Colleg. Privatis deſiderio Auditorum ſe accommodabit.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Græc. Ling. Hiſtor. & Poët. Profeſſor Ordinarius*, hyemales labores ſuos partim tradendæ Hiſtoriæ Judaicæ conſecrabit, inſtiturus infallibilibus veſtigiis ſacris, additis quæ è Joſepho quadrant; partim enucleando Ariſtotelis de Re poëtica Commentario, methodo hactenus uſitata. Privatim continuabit tabellas hiſtoricas, atque etiam in Græcis Dnn. Studioſorum ſe genio accommodabit, ſi quos majus inceſſerit deſiderium in his nobiſcum ſeſe exercendi.

M. FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Mathem.* P.P. abſolutâ Matheſi Univerſali Arithmeticam, Geometriam atque Stereometriam publicè tradet. Privatim autem Collegio Geographico, Chronologico, Optico atque Steganographico aut cuicunque, quam ſibi eligent Nobiliſſ. Dnn. Studioſi, Matheſeos Diſciplinæ navabit operam.

GISSÆ HASSORUM, An. 1668. 6. Septembr. Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, *Acad. Typogr. Ordin.*